

4^o Licet medico praebere remedium de se ordinatum ad morbum matris curandum, si certo constet, non dato remedio, et matrem alioquin morituram, et foetum sine Baptismo extinctum iri; sic enim tum mater, tum foetus, quo meliori modo possunt, iuvantur; sed rarissime de utroque constabit. Si vero aequale sit periculum abortus, sive remedium sumatur, sive non, illud adhibere licitum est; quia sine maiori prolis periculo vitae matris consulitur. — S. Lig. n. 394.

5^o Homicidae sunt, qui percutiunt mulierem praegnantem, vel terrefaciunt, ita ut abortus sequatur. Item mulieres gravidae, quae cum gravi imprudentia variis modis abortus causam proximam ponunt, v. gr. nimis laboribus operam dando, onera gravia asportando, pedes in aqua frigida lavando, etc...

6^o A fortiori homicidii reae sunt puellae ex fornicatione gravidae, quae repetitos conatus adhibent ad abortum attentandum, potionibus, saltibus, oneribus, ventris valida percussione et compressione, etc... Quando huiusmodi feminae confitentur, sedulo, sed non abrupte, interrogandae sunt de abortu desiderato vel attentato.

De poenis in procurantes abortum dicitur in *Tract. de Censuris*. — Vid. *Casus*, n. 399. et seq.

CAPUT III.

DE DUELLO

Duellum in genere est pugna duorum vel paucorum inter se. In sensu strictiori est periculosa duorum pugna ex praecedenti condicto de loco, tempore et armis.

Duellum est 1^o *publicum* vel *privatum*, prout fit auctoritate publica vel non; 2^o *solemne* vel *simplex*, prout fit coram testibus, vel iis omissis.

404. **Principia.** — I. Duellum auctoritate publica susceptum est licitum, si fiat ad bonum commune, v. gr. ut bellum conficiatur (1); secus, si aliis de causis imperetur aut permittatur (2). Ratio utriusque patens est.

II. Duellum auctoritate privata susceptum nunquam licitum esse potest. Ratio est, quia repugnat 1^o *iuri naturali*, cum Deus nulli hominum do-

esse operationem chirurgicam, quam craniotomiam appellant, sicut declaratum fuit 28. Maii 1884. et quaecumque chirurgicam operationem directe occisivam foetus vel matris gestantis ».

(1) Alium finem indicat Sanchez (*In Dec.* lib. 2. c. 39. n. 13.-14.), nempe ad servandam penes hostes existimationem, et

ne exercitus animo concidat. Huiusmodi duella Bonacina (*De Cens. in spec. disp.* 2. q. 3. p. 58. n. 4.) appellat *partem belli*.

(2) Ita, v. gr., si fiat spectacula et voluptatis causa, vel ad robur militum vane ostentandum (Sanchez, *in Dec.* lib. 2. c. 39. n. 12.).

minium dederit in suam aut alterius vitam, nec in membra extra casum defensionis contra actualem aggressorem; 2^o *iuri canonico*, ut constat ex Trident. sess. 25. cap. 19., ubi duellum dicitur: *Detestabilis usus, fabricante diabolo, introductus*. — S. Lig. n. 399. 400.

405. **Resolves.** — 1^o Non licet acceptare duellum etiam ad aver-tendam ignominiam; quia repugnat rationi istud medium crudele adhibere cum evidenti suae aut proximi vitae periculo, imo et salutis aeternae ob finem non necessarium vel etiam inutilem. Vera aestimatio, laus et decus posita non sunt in vana opinione huius mundi, cuius sapientia apud Deum stultitia est. — S. Lig. *Hom. apost.* n. 27.

2^o Non licet acceptare duellum viro militari, etiamsi cedere idcirco debeat officio ad sustentationem suam et suorum necessario. Ratio sequitur ex dictis: occisio enim alterius privata auctoritate nunquam licita est, nisi contra actualem aggressorem cum *moderamine inculpatae tutelae*; provocans autem ad duellum non est actualis aggressor.

3^o Non licet duellum suscipere ea lege, ut uno vulnerato aut certo numero ictuum completo, pugna cesset; 1^o quia etiam in hoc maximum adest vulneris letalis periculum; 2^o quia Clemens VIII prohibuit etiam duella non fatalia; 3^o quia istud duelli genus scandalum creat, et duellis fatalibus occasionem praebet.

4^o Non licet duellum suscipere, etiam accedente auctoritate publica, ad noscendam veritatem, ad probandam innocentiam aut ad finiendam litem privatam; quia non est medium ad hos fines ordinatum. Nec cogi rei possunt ad duellandum, spe etiam vitae victori futuro data. — S. Lig. *Hom. apost.* ibid. (3).

5^o Licet autem pugnare in duello ad meram defensionem, etiam arma acceptando ab adversario, si mors ab ipso intentetur, aut amissio honorum secutura sit, nisi pugna acceptetur, nec adsit alia ratio hoc periculum evadendi; sed non licet se conferre ad alium locum (4), aut

(3) S. Alphonsus citato loco loquitur tantum de prima huius resolutionis parte. Quoad postremam vero (*Theol. moral.* lib. 3. n. 400.) oppositam sententiam sine ulla nota refert; Laymann autem (lib. 3. Tr. 3. p. 3. c. 5. n. 2.) aliis DD. allegatis quoad iudicem haec habet: *Licet secundum se et speculative rem aestimando non videatur id alienum a iure naturali, quod id aliud non sit, quam utrumque reum in alterutrum iustitiae ministrum decernere, ut iustam mortis sententiam exequatur; ei autem, qui*

praevenerit, vita condonetur; attamen ob adiunctas circumstantias non vacat periculo scandalum; quare neque expediens neque licitum est. Quoad reos vero subdit: *Postquam princeps eiusmodi facultatem duello decertandi reis concessit, licitum videtur id acceptare non ex odio, sed tum publicae iustitiae zelo, tum propriae vitae salvandae causa.*

(4) Si tamen mors tibi intentetur, nisi continentur in alium locum pergas, ubi te defendere possis, haec circumstantia non

indicere ad defensionem aliud tempus determinatum; quia tunc duellum proprie dictum haberetur.

6^o Non ineunt duellum proprie dictum, et proinde non incurrunt

videtur resolutionis praecedentis rationem immutare.

S. Alphonsus (lib. 3. n. 400.) postquam retulit plurimum DD. sententiam circa causam *amissionis bonorum*, subdit, eam opinionem non esse amplius probabilem ob primam et quartam e propositionibus a Benedicto XIV proscriptis, et ab A. paulo post relatis. Verum non constat, hunc casum in iis comprehendi. Illae enim de duello etiam *offerendo* loquuntur, hic vero agitur de sola *acceptatione* ad necessariam honorum (magni momenti) ab actuali invasione defensionem. Norunt porro omnes, damnationem propositionis complexae nequaquam exigere, ut omnia eiusdem membra censeantur falsa, sed satis esse, si falsum reperiatur alterum: quinimo prius illud ad absurdum per se inducit; nam si v. gr. dicas: *SS. Apostolis Petro et Paulo amputatum caput fuit*; concludendum ex damnatione foret, *neque Paulo amputatum caput fuisse*; quod est aperte falsum. Sancte itaque servanda regula illa logicorum est, propositionis damnatae atque adeo falsae veram habendam esse non quidem *contrariam*, sed *contradictoriam* tantummodo. Porro propositionis *copulativae*, cuiusmodi sunt obiectae *prima* et *quarta*, contradictoria erit huiusmodi: *Aut offerre, aut acceptare duellum, etc. illicitum est*. Atqui vi *disiunctivae* istius thesis absurde inferres illicitum esse utrumque simul ipsius membrum. Ergo ex illarum propositionum damnatione nihil erui certe potest adversus eam opinionem, adeo ut damnata dici queat.

Verisimilius obici forte posset damnatio Prop. 3^{ae} quae statuit, *non incurri poenas latas contra duellantes, si dux vel officialis militiae duellum acceptet ex gravi metu amissionis famae vel*

officii. Nam mentio tantum *acceptantis* in ipsa fit. At enim, ut caetera modo praetermittamus, alia ratio et quidem duplex se offert, propter quam vis obiectionis plane eliditur. Prima est, quod nihil in ea Propositione dicatur de *actuali bonorum invasione*; quocirca ad praesentem quaestionem nihil haec pertinet. Altera est, quod Propositio damnari merito potuit vel ob illud unum, quod falsissime supponat, eum, qui duellum detrectet, fama graviter periclitari. Frustra igitur et haec Propositio obiicitur. Et reipsa eximius ex Ordine Serv. B. Mariae Virg. theologus Marcus Struggl, postquam diligentissime perpendit has quoque Propositiones a Benedicto XIV proscriptas, nihilominus (*Th. Mor. Tr. 7. q. 3. art. 6. n. 65.*) statuit, *licitum posse evadere duellum... si contra iniustum aggressorem ad defensionem vitae vel ingentium bonorum necessario debeat suscipi; ut si quis actualiter intentaret certam mortem, direptionem bonorum aut incendium domus, nisi cum illo actualiter duellum in eas; nam licitum est se defendere contra iniustum aggressorem vitae, et ingentium bonorum alia via irreperabilium*. E quibus apparet, hanc doctrinam vix, aut ne vix quidem ab ea distare, quam A. quoque in Resolutionibus quinta et sexta proponit si quidem huc revocetur quaestio superius (n. 397. q. 4.) agitata de defensione ingentium bonorum etiam cum iniusti aggressoris occisione.

Concludendum igitur, fas utique cuique esse rationes inquirere, quibus eam opinionem, eiusve qualemcumque probabilitatem oppugnet; at rationes huiusmodi plane aliunde, ac ex proscriptis illis Propositionibus, quaeri oportere.

excommunicationem Papae reservatam, aliasque poenas a Concilio Trid. in duellantes inflictas, qui ob iniuriam subita ira exardescerent et ad pugnam se provocantes statim congregiantur; quia verius est rixa, non vero duellum, quod *ex conducto loco et tempore* fieri debet. Eademque de causa ob improvisum eiusmodi congressum praedictae poenae non incurruntur, quamvis pugnantibus ex eodem rixae impetu ad locum aliquem idoneum statim se simul conferant. — S. Congr. 5. Octob. 1744. — Scav. — S. Lig. n. 401. — V. *Casus*, n. 403. et seq.

406. Hic referre iuvat quinque propositiones circa duellum damnatas a Benedicto XIV, an. 1752, in Bulla *Detestabilem* (5). Sunt autem sequentes:

1^o *Vir militaris qui, nisi offerat et acceptet duellum, tanquam formidolosus, timidus, abiectus, et ad officia militaria ineptus haberetur indeque officio, quo se suosque sustentat, privaretur, vel promotionis alias sibi debita ac promerita spe perpetuo carere deberet, culpa et poena vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum.*

2^o *Excusari possunt, etiam honoris tuendi vel humanae vilipensionis vitandae gratia, duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt, pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.*

3^o *Non incurrit ecclesiasticas poenas contra duellantes latas, dux, vel officialis militiae acceptans duellum ex gravi metu amissionis famae, vel officii.*

4^o *Licitum est in statu hominis naturali acceptare et offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio eorum iactura propulsari nequit.*

5^o *Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui civitatis male ordinatae, in qua nimirum, vel negligentia, vel malitia magistratus, iustitia aperte denegatur.*

(5) Benedictus XIV huius Constitutionis § 10. principes ac magistratus quoslibet enixe obtestatur, ut duellorum licentiae omninisu et constantia vehementer obsistant. Tum eosdem monet, ne satis esse putent quod legibus gravissimisque poenis additis *horrendum crimen* proscriptum sit nisi earum executionem naviter urgeant, seque inexorabiles criminis vindices exhibeant. *Nam si delinquentes aut oscitanter ferant, aut molliter puniant, alieno se crimine polluent, omnisque illius sanguinis reos se constituent.*

Ita sapientia plane divina Romanus Pontifex per eam aetatem, qua in universa

christiana republica nefarium hoc scelus iustissimis legibus coercebatur. Quod vero decursu temporis apud quasdam gentes contra hoc crimen e codicibus abrasae leges fuerint, quin et alicubi puniatur, qui duellum detrectando hoc se crimine polluere noluerit, hoc palam facit, gentes illas, dum superba insipientia putant, se perfectionis civilis fastigium attigisse, in efferam eam barbariem, e qua ipsas christiana religio eduxerat, corruisse iam, ac porro profundius immergi. In codice poenali italico duellum, vel tantum provocatum, gravibus poenis coercitur (§§. 226. seqq.).

CAPUT IV.

DE BELLO

407. — Bellum est pugna multitudinis contra multitudinem extraneam Reipublicae defendendae aut vindicandae causa.

Hinc differt 1^o a *rixa*, quae est pugna paucorum contra paucos; 2^o a *seditione*, quae est tumultus vel conflictus multitudinis contra politicam societatem, ad quam pertinet.

Distinguitur bellum 1^o *offensivum*, si fiat ad iniuriam vindicandam; 2^o *defensivum*, si ad vim repellendam sustineatur.

Principia. — I. Bellum *per se* licitum est, sive ad iniuriam repellendam, sive ad ius suum vindicandum. Ratio est, quia societas quaelibet independens ab alia societate, habere debet medium se tuendi contra iniuriam, et ius suum vindicandi; interdum vero non suppetit aliud medium ad hunc finem obtinendum, nisi bellum. Quippe cum altiora desint tribumalia, ad quae Nationes seu Principes recurrere queant, solum superest, ut ad satisfactionem ab alia societate obtinendam bello utantur. S. Thom. 2. 2. qu. 40. art. 1. et alii.

II. Ad bellum iustum et licitum, sequentia necessario requiruntur:

1^o *Auctoritas legitima*, id est suprema, nullum alium Superiorem in civilibus agnoscens. Ratio est, quia ubi maior auctoritas habetur, haec de lite iudicare debet.

2^o *Causa iusta et gravis*, quae sit praeponderans incommodis ex bello secuturis, v. g., regnum vel provincia recuperanda, aut iniuria gravis Reipublicae propulsanda, vel subditorum rebellio reprimenda... etc.

3^o *Debitus bellandi modus*, scilicet ut ante bellum a parte adversa requiratur condigna satisfactio; quae si offeratur, ex iustitia acceptari debet; ubi enim bellum desinit esse necessarium, desinit quoque esse iustum. — S. Thom. *ibid.* — Billuart, etc.

408. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *An liceat bellum gerere cum probabilitate sui iuris?*

Resp. Controvertitur. Sed pars negativa est *longe probabilior*, saltem *intrinsece et practice*. Ratio est, 1^o quia possessor bonae fidei nequit re possessa expoliari, nisi constet, eum iniuste illam retinere; 2^o quia ad ponendam causam gravissimorum malorum, ut sunt caedes, iniustitiae, morum corruptelae et alia huiusmodi, quae bellum ordinarie subsequuntur, requiri videtur moralis certitudo iuris sui. — S. Lig. n. 404. Tamburini, Billuart, contra *plures*, quorum *alii maiorem tantum probabilitatem, alii vero aequalem* sufficere autumant.

QUAER. 2^o *An milites belligerare possint cum dubio de iustitia belli?*

Resp. 1^o Si agatur de milite subdito, tenetur obedire, ubi bellum non

est evidenter iniustum, quia ad ipsum non pertinet rationes Superiorum examinare (1).

2^o Si agatur de milite conducto ante bellum declaratum, potest obedire; ad hoc enim conducitur; unde fere ac si esset subditus, se gerere debet.

3^o Si agatur de milite nondum conducto, tenetur inquirere de belli iustitia, nec in dubio de iustitia se locare potest. Ratio est, quia nemo potest cooperari ad spoliandum alterum re, quam possidet, nisi sit certus, iniuste eam ab illo possideri. — S. Lig. n. 408.

QUAER. 3^o *An liceat Principibus catholicis in bello iusto advocare in auxilium haereticos et infideles?*

Resp. Affirm. per se, saltem *speculative loquendo*, modo absit scandalum, et Fidei periculum. Sed, ait S. Lig. n. 406., plerumque, per accidens, est illicitum ob damna Religioni imminencia.

QUAER. 4^o *An nocentes vel innocentes a victore occidi possint?*

Resp. 1^o Occidi aliquando possunt nocentes, seu milites qui pugnaverint, si hoc ad pacem et securitatem stabiliendam aut iniuriam vindicandam necessarium sit, nisi cum pacto vitae servandae se dederint. Sed hoc a moribus nostri temporis prorsus alienum est.

2^o Innocentes autem, id est mulieres, senes, peregrini, Clerici, Religiosi, etc., *directe* occidi non possunt, nisi constet illos fuisse belli socios. Possunt tamen *indirecte* occidi, non adhuc completa pugna, si cum nocentibus sint permixti, ita ut salvis istis reliqua nocentium turba, quam destruere opus sit, interimi non possit. — S. Lig. n. 409.

409. **Resolves.** — 1^o Milites in bello iniusto ne defensionis quidem causa licite possunt hostes occidere; si fugere nequeant, curare debent, ne ictibus suis feriant. Ipsi enim sunt iniusti aggressores, et iura contraria in eadem re dari nequeunt. — Lacroix, et alii communiter (2).

(1) Quod quidam dixerunt, ad probabile iudicium de iustitia belli sufficere auctoritatem principis, merito advertit Lugo (*De iust. disp.* 18. n. 21.); non semper et in universum verum esse. *Quando enim* (inquit) *aliunde scio, principem passim pro libito praecipere turpia et... sine ulla prorsus attentione ad licitum, quomodo possum ex mero praeecepto principis credere, quod iustum sit, quod praecipit?* Et paulo post quoad principes, quos fide christiana destitutos novimus: *Cum eorum conscientiae non possit prudenter miles fidere, quippe*
Comp. Theol. Mor. — Tom. I.

qui de iustitia belli parum curant, attente considerare et examinare deberet belli iustitiam et causam, ut posset iudicium illud probabile formare.

(2) Effatum illud *non posse dari bellum ex utraque parte iustum* intellige nisi per accidens ob aliquam ignorantiam invincibilem, utrumque iustum putetur; quod in militibus, ad quos in dubio non spectat causam definire, saepe contingere potest.

Et quoad resolutionem non negligendum est, quod cum Soto habet Molina. *Si aliquis* (inquit) *in bello, quod bona fide*

2^o Princeps, perspecta belli iustitia, eam proponere debet parti adversae, nec bellum inchoare potest, si satisfactio competens ei offeratur; imo etiam inceptum bellum, oblata satisfactione adaequata, relinquere tenetur, sin minus ex rigore iustitiae, saltem plerumque ex charitate, modo pars altera omnes expensas iam factas compensare velit, nec ad bonum publicum necesse sit, ut eius petulantia retundatur.

3^o Licet in bello insidias parare, stratagemata adhibere, ut hostes fallacii decipiantur, et in discrimina coniciantur. Haec enim non reputantur mendacia, quia culpa sua decipiuntur adversarii, cum media illa in bello adhiberi soleant: sic licet fingere fugam, uti vexillis hostium, etc... Illicitae autem sunt fraudes, quae nulla prudentia possunt praecaveri, v. gr. veneno inficere puteos et fontes, etc...; hae enim sensu communi contra iura belli pugnant. — S. Lig. n. 410.

4^o Licet in bello iusto urbes et arces obsidere, tormenta contra illas explodere, imo aliquando monasteria et Ecclesias destruere aut comburere, in iis spoliare et occidere, si v. gr. hostes Ecclesia ut arce ad se defendendum utantur. — Item licet aliquando urbem captam in praedam dare, sed non nisi ob gravissimas rationes. — S. Lig. ibid.

5^o Duces exercitus et milites summopere praecavere debent, ne excedant post victoriam in victis puniendis: sunt enim legitima ministri vindictae, non vero latrones et sicarii; praesertim vitare debent quidquid crudelitatem aut animum nocendi sapit.

6^o Duces et milites laedere nequeunt legatos partis adversae, quia iure Gentium ubique sunt inviolabiles; nec mittere possunt speculatores, qui Principem aut Ducem exercitus vel alios regni Primates occulte trucidant; quia hoc ex omnium consensu ad perfidiam pertinet.

DE VI. ET IX. DECALOGI PRAECEPTO

*Non moechaberis. — Non desiderabis uxorem eius (proximi).
Exod. 20. 14.*

410. — Iuvat imprimis referre, ac propria nobis facere verba S. Ligorii in principio *Tract. de sexto Praecepto*:

Nunc aegre materiam illam tractandam aggredimur, cuius vel solum nomen mentes hominum inficit... Utinam brevius aut obscurius expli-

putaverat iustum, in ipso tamen conflictu eius iniustitiam agnovit et dum fugit, videt adversarium insequentem quem effugere non potest, nisi eum occidat, posset in sui defensionem eum occidere, quia cum revera innocens sit non est dignus morte, quam adversa-

rius ei vult inferre, cui si de veritate constaret, deberet eum relinquere. Apud Lugo (*De Iust.* disp. 10. n. 144.), cui tamen ista (ibid. n. 176.) minus arrident. At non aegre incommoda vitari possunt, quippe in fuga miles se dedere insequentibus potest, et ita mortem effugere.

care me potuissem! Sed cum haec sit frequentior atque abundantior confessionum materia, propter quam maior animarum numerus ad infernum delabitur, hinc opus mihi fuit, ad instructionem eorum, qui moralem scientiam cupiunt addiscere, ut clare (licet quo castissime fieri potuit) me explicarem, et plurima particularia discuterem. Oro tamen studiosos, qui ad munus audiendarum confessionum se parant, ut hunc tractatum quemadmodum et alium de debito coniugali..., legant ob hunc unice finem, omnem prorsus curiositatem abiicientes, atque eo tempore saepius mentem ad Deum elevent, et Virgini immaculatae sese commendent, ne, dum aliorum animas Deo student acquirere, ipsi suarum detrimentum patiantur.

411. — Sextum Decalogi praeeptum prohibet quamlibet luxuriam externam, id est opere patratam. — Nonum vero praeeptum prohibet etiam luxuriam mere internam, impudicas nempe delectationes, ac desideria.

Luxuria est inordinatus appetitus rei venereae, et consistit in delectatione venerea voluntarie admissa extra matrimonium. Delectatio autem venerea est delectatio orta ex commotione spirituum generationi inservientium. Non est igitur confundenda cum delectatione mere sensibili, quae oritur ex proportionem obiecti sensibilis ad sensum aliquem, v. gr. obiecti visibilis ad visum, audibilis ad auditum, etc. Alia idcirco est materia seu obiectum luxuriae, alia sensualitatis. Delectatio sensibilis aut culpa vacat, aut veniale, saltem plerumque et *per se*, non excedit (1).

(1) Diversas apud diversos AA. reperire est in hac re distinctiones. Nam praeter distinctionem venereae delectationis in *veneream sensibilem*, et *veneream spirituales*, quam post Salmanticenses (Tr. 26. c. 3. n. 31.) cum nonnullis admisit (Tr. 12. q. 3. p. 295.) Roncaglia (in praeced. edit. mendose legebatur: *quam post Roncaglia admisit S. Alphonsus*; quod mendum utiliter et VV. pag. 286. adverterunt) quidam rursus *veneream* distinguunt in *veneream simpliciter*, et *veneream sensibilem* (Vid. Sanchez, *De Matrim.* lib. 9. disp. 46. n. 4.); quidam *veneream carnalem*, ac *sensitivam* pro una eademque videntur accipere (Vid. Laymann, lib. 1. Tr. 3. cap. 6. n. 6.-8.); alii *sensitivam* ac *sensibilem* prorsus a venerea distinguunt illam rursus partiuntur in *pure sensibilem*, et *carnalem sensibilem* (Vid. Croix,

lib. 5. n. 93.); alii demum, uti etiam A., simpliciori bimembri distinctione utuntur in delectationem *veneream*, et *sensibilem*, quam etiam *naturalem* vocant. Quas quidem varias distinctiones, atque adeo varias earundem penes diversos Auctores definitiones, dum quidam parum advertunt, in illud inciderunt incommodum, ut quibusdam Auctoribus eas sententias affingerent, quas illi ne per somnium quidem cogitaverant.

Interim quod spectat ad delectationem *sensibilem* seu *naturalem*, prouti ab A. aliisque accipitur, quae nempe a proportionem obiecti cum organis sensuum exurgit, quaestio de reatu ipsius facile solvitur. Perinde enim est, ac quaerere, quis reatus esse queat in delectatione, quae, v. gr. ex olfactu floris, ex caeli aspectu, aut ex haustu gelidae percipitur. Merito